

## BARTHOLOMAEI BOSCOVICII CARMINA DUO DE PATRIA RAGUSINA

Iosephus IJsewijn Velicio Gortani Collegae Amico S.P.D.

Erasmus noster cum in procinctu esset profectionis in Galliam neque haberet quo amicis Britannicis testimonium amicitiae et propensi in eos studii sui relinqueret, opusculis quibusdam Lucianeis, quae prelo erat commissurus, eorum nomina inscripsit litterisque praemissis veniam petebat quod tam magnis viris tam parva offerret. Eodem fere loco me esse credidi cum ineunte mense Februario mihi Zagrabia nuntiatum est librum in honorem Velicii Gortanis septuagenarii iamiam excusum iri neque multum superesse temporis declarandae amicitiae et benevolentiae. Nam litteras, quae iusto tempore mihi missae erant, invida Fortuna interceperat ideoque paene factum est ut tu, Venerande vir, amici silentium miratus iure doleres, ego sero illo nuntio adflictatus occasionem amoris in te publice ostentandi praereptam esse non minus ferre deberem invitus. Quae dum animo voluto, peropportune incidit mihi in mentem olim me duas elegias legisse perpulchras a Bartholomaeo Boscovicio modulatas ut acre patriae Ragusinae desiderium arte levaret. Quidni, sic mecum cogitavi, haec carmina denuo typis committis ut e vetustorum librorum latebris emergant et pluribus innotescant, immo ostendant quam cara semper patria fuerit Latino illi poetae, quem vitae vicissitudines procul ab amoenissima illa civitate Blasiana abduxerant. Quod tibi quidem placitum sciebam viro Latinitatis Croaticae amantissimo et peritissimo, qui et ipse tot tantaque litterarum vestratum monumenta in lucem edidisti, vernacule vertisti ac notis illustrasti. Certe mihi homini Flandrico ignosces quod carmina Boscoviciana Croatica veste induere non valui, sed Latine tantum repetivi. Ceterum alia est causa cur munusculum hoc laeto animo accipies. Nam poeta Ragusam, Gravosam portum atiaque Umblam flumen tam graphice pinxit ut versus non possint non revocare in utriusque nostri animos tempus illud, quod una iis in locis viximus, cum ante tres fere annos Ragusinum Conventum Irenaeum adissemus.

Accipias igitur quaeso, Illustrissime Collega et Amice, haec duo carmina, litterarum Croaticarum monumenta haud spernenda, quibus tibi gratulari volui septuagenario, simul et gratias agere quod universae

litterarum reipublicae scriptis tuis doctissimis ostendisti quot qualesque auctores Latinos Illyria tua novantiqua protulerit. Olim Andronicus Tranquillus Dalmata Lovanium petiit Erasmi nostri salutandi causa. Hae litterae Lovanienses Croatiam petierunt ut virum salutarent, cui, si quid nostra memoria litterae Croatarum Latinae apud viros doctos clareant, eius rei meritum magna spectet ex parte. Vale in multos annos.

Scrpsi in Agro Parcensi prope Lovanium, die X mensis Februarii anni MCMLXXVII.

Bartholomaeus Boscovicus, Rogerii poetae et mathematici celeberrimi frater, Ragusae natus est die vigesima septima mensis aprilis anno MDCIC. Quindecim annos natus Romam se contulit ubi pridie Kal. Novemb. Societati Iesu nomen dedit. Diem supremum obiit Recanati die quinta mensis Maii anno MDCCLXX. Pauca tantum carmina typis edi passus est, duas nempe elegias et eclogas tres. Elegias admodum iuvenis scripsit, priorem Perusiae dum litteras Latinas docet (cf. vv. 63—74), alteram cum septem iam annos in Italia habitaret (cf. vv. 7—10). Primum publici iuris factae sunt in libro qui inscribitur Caroli Rotii Florentini e Societate Iesu *Carmina et Orationes*, Patavii anno MDCCXLI excusus apud Iosephum Cominum. Leguntur paginis 87—92. Multis certo placuerunt: quinquies enim repetitae sunt in libris selectorum carminum Patrum S. J., nempe Genuae MDCCXLVII, Venetiis MDCCLI, Augustae Vindelicorum MDCCLIV, Cremonae MDCCLXXII et Vindobonae MDCCLXXXV. Plura qui scire velit hac de Boscoviciara memoria adeat Sommervogelii Bibliothecam Societatis Iesu et Indicem systematicum operum scriptorum Latinorum natione Croatarum a Šime Juricio compositum.

Boscovicii opuscula tanta perspicuitate nitent ut vix notis egeant. Ipse poeta ad versiculos 49—52 prioris elegiae declarandos tria nomina explicavit, nempe (a) MONTOTVIERNA, collis prope Ragusium, coturnicum potissimum venatione celeberrimus; (b) GRAVOSA (*Croatice*: Gruž), uno ab urbe eadem lapide insignis amoennissimarum villarum frequentia portus; (c) UMBLA, maris sinus, in quo ad iusti pæne fluminis magnitudinem fons in ipso littore e profundo telluris hiatu erumpens, obvio mari se immiscet, servata longo tractu aquarum dulcedine.

Cetera per se ipsa patent nec doctrinae pondere gravanda sunt. Legantur simpliciter legentesque eleganti demulceant dulcedine.!

## BARTHOLOMÆI BOSCOVICKI

## E SOCIETATE JESU

## CARMINA.

## I

*Ad Amicum in Patria commorantem.*

## ELEGIA

- ESSE quid hoc dicam, quinos reparata per orbem  
 Pallida quod sextis Luna laboret equis,  
 Nec tamen ulla tuis mihi venit epistola verbis,  
 Officio charæ destituorque manus?
- 5 Fallor, an absentis nulla est tibi gratia nostri,  
 Et meus e toto pectore fluxit amor?  
 Quod pactum inter nos, quæ conjuravimus ambo,  
 Fallor, an insanis sunt data ferre Notis?  
 Nam memini, summa cum discessurus arena
- 10 Lassarem amplexus in tua colla meos,  
 Per mare dicebas, per quæ tibi fausta precamur  
 Flamina, per dubias quæ regit Ursa rates;  
 Nulla per Illyricos volitabant carbasa fluctus,  
 Quin eat in charas littera missa manus.
- 15 Hæc promissa fides, hæc est jurata voluntas,  
 Sic fuerat noster decipiendus amor?  
 Ut scopulos, et iniqua feris freta concita ventis,  
 Anne putas surdis auribus esse Deos?  
 Sentit, et offensum furit ad perjuriam Numen;
- 20 Forsan et illa tuum destinat ira caput.  
 Quo tamen abripior? furiis agitamur iniquis,  
 Et meus in dubio crimine sævit amor.  
 Novi ego quid Boreas, quid aquosus possit Orion,  
 Quantus in Illyricas incubet Auster aquas.
- 25 Novi, quam subito se misceat Adria fluctu,  
 Hærentes scopulis detineatque rates.  
 Ah potius fluctus, inimicaque flamina peccent  
 Quam tua siti nobis insimulanda fides.  
 Candida Penelope tardum culpabat Ulyssem,
- 30 Dum nocturna suum dextra retexit opus.  
 Et sæpe appositâ vigilans ad pensa lucernâ  
 Illius audita est de levitate queri.  
 Cum tamen ille Ithacam velisque animoque secutus  
 Duceret invitas per vada salsa moras.
- 35 Sic, puto, sic tumidis tua littera fertur in undis,  
 Pugnat et insani vincere jura maris.  
 Firmus amor tuus est ventos culpemus, et undas.  
 Crimen de nostris questibus Auster habet.  
 Ergo age dum pelago deferveat ira tumentis,
- 40 Et liceat de te discere plura mihi;  
 Mens mea in amplexus saltem decurrat amicos,  
 Perque interdictas devolet ipsa vias.  
 Sic facimus: præsens animo mihi fingeris, et te  
 Captantem in patrio frigora rure sequor.

- 45 Dum moles rerum, et curas pertæsus iniquas,  
 Æstatem umbrosis protegis arboribus:  
 Latratuque canum campos, silvasque fatigas,  
 Et quatis innocuâ tela cruenta manu.  
 Nunc tibi cædendas dat Montovierna volucres,
- 50 Nunc tibi dat pisces pulchra Gravosa suos,  
 Aut geminæ te nunc inter confinia lymphæ  
 Detinet umbroso nobilis Umbla sinu;  
 Illyrici decus Umbla maris, quam Tethys, et ipse  
 Adria cæruleis visere gaudet equis.
- 55 O patria, o placidæ juga per florentia sedes,  
 O lustrata meis littora deliciis!  
 Ah quoties lepores campis agitavimus illis,  
 Saxaque sunt jaculis facta cruenta meis!  
 Ah quoties tenui relegens vada nota phaselo,
- 60 Instruxi assuetas piscibus insidias!  
 Scindentique undam, prædas sub nocte trahenti  
 Cantibus Alcyones obstrepuere suis.  
 At nunc turrigeris Augusta Perusia muris  
 Me tenet, ad Thuscæ nobile murmur aquæ;
- 65 Spectantem campos, et docet rura Properti.  
 O rura Aoniis invidiosa plagis!  
 Hic mihi commissæ servantur jura palæstræ,  
 Discit et auspiciis multa juventa meis.  
 Et modo Dardanosque ignes, populataque Grajis
- 70 Pergama Romanam pandimus Iliada;  
 Et modo persequimur puppim Nasonis, et inter  
 Flemus inhumanos, barbarâ corda, Getas.  
 Tullius aut nostro Pisonem fulminat ore,  
 Aut pia pro trepidis ventilat arma reis.
- 75 Parce tamen, Thymbræe parens, et parcite fasso,  
 Pieridumque chori, Castalidesque Deæ,  
 Durum opus, ad vestros juvenes perducere fontes;  
 Turba ferox illa est, impatiensque regi.  
 Malim ego Carpathiis cantum committere saxis,
- 80 Et responsuris carmina verticibus.  
 Malim Pieridas silvis tumulare repostis,  
 Inter et Armenias concinuisse tygres.  
 Thracia florentemque umbram, et genus omne ferarum  
 Vidit ad Orpheæ currere fila lyræ.
- 85 Vidit et Amphion, plectro dum ludit eburno,  
 Thebas auditis surgere carminibus.  
 At mihi qui faciles cantanti præbeat aures,  
 Inter tot pueros unus, et alter erit.  
 Quin etiam nugis fera turba intenta molestis
- 90 Garrit, et indigno perstrepat alloquio.  
 Adveniet tamen illa dies quæ libera colla  
 Vindicet, invisio surripiatque jugo,  
 Et dabitur te, dulce caput, post longa videre  
 Tempora, et assuetas tangere posse manus.
- 95 Tecum sub patriæ cantabimus arboris umbra,  
 Crescet et arbitrio nostra Camoena tuo.  
 Hanc mihi, Phoebe pater, post tot vigilata laborum  
 Tædia sollicitis cursibus adde diem.  
 Interea, exorata dabunt ubi flamina cursus,
- 100 Leniat invisas littera crebra moras.

## II

## PATRIÆ DESIDERIUM.

## E L E G I A

- ILLYRICI colles, atque altæ antiqua Ragusæ  
 Moenia, vagitus conscia terra mei;  
 Quando erit, ut vestras redeam vetus exsul ad oras,  
 Flensque feram patriis oscula liminibus?  
 5 Quando erit, Adriaci relegens tumida æquora ponti  
 Deprecer ut faciles in mea vela Notos!  
 Septima jam gravidum spicis caput extulit æstas,  
 Et peragit cursus septima bruma suos;  
 Ex quo me terris Mavortia Roma Latinis  
 10 Abstractum a dulci distinet Illyria.  
 Hei mihi! si tectis potui procul esse paternis  
 Tempore tam longo, ferreus ipse fui.  
 Non me longævusque parens, aut optima mater,  
 Nec dulcis potuit me revocare soror.  
 15 Nec desiderium teneri mea pectora fratris  
 Contigit Armeniis æmula tygridibus.  
 Ipsa etiam ut terras procul hinc scrutetur apricas,  
 Trans freta longinquam carpit hirundo viam.  
 Vere novo tamen usque redit, sua tecta revisens  
 20 Pendula ab antiqua qualiacumque trabe.  
 Ipsa etiam offensi fugiens odia alta parentis  
 Medea, et fratris caede cruenta sui,  
 Sæpe ad desertos retulit sua lumina Colchos,  
 Et lacrymans dixit, Terra paterna vale.  
 25 Ast ego nec patriamve meam, vel fata meorum  
 Sacravi externo perfidus hospitio.  
 Nec me discerpti fratris serere arva cruore  
 Spectantes, Hircanæ obstupuere tygres:  
 Nec fraudata suis per me fuit urna favillis,  
 30 Palleat ut magicis Cynthia carminibus,  
 Quid tamen hæc bene facta juvant, si durius ipsa  
 Colchide vesanum cor mihi robur habet?  
 Si pater, et genitrix, et quidquid dulce putatur,  
 Nomina sunt animo vilia facta meo.  
 35 Ah pietas; ah humani vetus incola sensus  
 Atque expulse meo e pectore dulcis amor,  
 In nostros remeate sinus, animamque regentem  
 Mollite, et sacra conficite usque face.  
 Ibimus, Adriaci, sic stat, sulcabitur undas  
 40 Æquoris; o cupidæ pandite vela rati.  
 Martia Roma vale, nimium mihi cognita longo  
 Tempore, nunc demum jusque, piumque vocant.  
 Sterne viam, Neptune, iras compesce furentes  
 Undarum, patria est terra petenda mihi.  
 45 Fac Zephyros spirare leves, animamque Favoni  
 Lascivire alis per freta purpureis.  
 Nympharumque chori circumfundantur eunti,  
 Tethys, cumque sua Doride Nereïdes;  
 Et Glaucus puppim impellat, viridisque Palæmon  
 50 Proram occursuris subtrahat a scopulis.  
 Quod si forte negent faciles maria aspera cursus,  
 Et toto præceps impete regnet hyems,

- Æthera carpemus medium: maria ipsa stupebunt  
 Per non assuetas me dare vela vias.  
 55 Nec tu, Dædale, eris coelo libratus ab alto  
 Unica venturi temporis historia.  
 Dædalus, ut perhibent, patriæ telluris amore  
 In labyrinthæi dum jacet arce doli,  
 Avulsam volucrum plumam sociavit in alas.  
 60 Artifices pennis applicuitque manus.  
 Par causa, idem amor est nobis: Amor ipse lacertis  
 Aptabit pennas, remigiumque meis.  
 Quin etiam ipse meos anteibit in æthere cursus  
 Aliger, ignotæ duxque comesque viæ.  
 65 Qualis sidereæ sublimi e vertice pinus  
 Mater vix natis anteit alitibus.  
 Tunc mihi nec medio placeat signa ardua coelo  
 Discere, nec geminos visere velle polos.  
 Erigonemque, Ursamque, et qua se patre videndum  
 70 Explicet, et stellas abluat Eridanus.  
 Icare, linque ducem, medioque invectus Olympo  
 Æmulus ignivomis, i, licet, usque rotis.  
 Illyris Adriaco ridet qua littore tellus,  
 Indeclinatâ me feret aura viâ.  
 75 Teque alta aspiciens superantem sidera, dicam  
 Dulcior est ipsis Patria Sideribus.

*Leuven.*

Denuo edidit *Iosephus IJsewijn.*